

apostolorum scripsisse perhibetur. ¶ Salutate eos qui sunt Laodiceæ fratres, & Nympham, & domesticam eius Ecclesiam.) Quoniam simili modo & pro his qui Laodiceæ sunt, sollicitus erat, in eorum epistola hos saluandos monet, Nympham chariorem existimās, cuius & domum salutat. Tam enim deuota uidetur fuisse, ut omnis domus eius signo titulata esset crucis. ¶ Et cum lecta fuerit apud uos hæc epistola, facite ut & Laodicensium Ecclesiæ legatur, & Laodicensium uos legatis.) Quia generales sunt institutiones Apostoli, & ad omnium profectum scriptæ epistolæ, idcirco etiam Laodicensibus epistolam hanc legi præcepit, ut per hanc quid agendum sibi esset, addicerent: & Colossenses ut eorum legerent iuxta sensum supradictum. ¶ Et dicite Archippo: Vide misterium quod suscepisti in domino, ut illud impleras.) Præpositum illorum per eos ipsos commonet, ut sit sollicitus de salute ipsorum. Et quia plebis solius causa scribitur epistola, ideoque non ad rectorem ipsorum destinata est, sed ad Ecclesiam. Post eum Epaphram, qui illos imbuuit, hic accepit regendam eorum Ecclesiam. ¶ Ipsa enim saluatio mea manu Pauli, memores estote uinculorum meorum. Gratia uobiscum.) ¶ Et confirmet epistolam manu sua scriptam dicit, memorans ut in mente habeant exitus eius, quos patiebatur pro salute gentium, & tales se præberent, ut non ferrat ægre pati pro his iniuriis.

## **DIVI AM**

**BRO SII MEDIOLANENSIS EPISCOPI**  
commentarij in epistolam beati Pauli  
ad Thessalonicenses.

### **PRÆFATIO.**

**V**thorum, id est Thessalonicensium exëplo alios exhortetur ad fidei incrementa, istos laudat eo, quod in accepta gratia permanentes, ad profectum